

05

A

2203

C  
R  
S  
D  
S

D.  
F.

Sun

M.

Litteris

11,639  
31  
14

THESES IN AVGVRales,  
*de*  
**CRIMINE MAGIÆ,**  
quas  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
SCEPTRI BORVSSICI ET BRANDENBUR-  
GICI HEREDE &c. &c.

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA,  
*Ex decreto Illustris Facultatis Iuridice*

PRAESIDE

**D. CHRISTIANO THOMASIO, ICto,**  
REG. MAI. BORVSS. CONSIL. PROF. PVBL. & h.t. DECANO,

**PRO LICENTIA**

Summos in vtroque iure honores & DOCTORALIA  
Priuilegia legitime consequendi,  
IN AUDITORIO MAIORI,  
*Horis Ante- & Pomeridianis*

*Solemni Erritorum disquisitioni suhmittit*

**M. IOHANNES REICHE** Ampliss. Ordinis  
Philosophici Adiunctus

*ad D. 12. Novembr. c 12 oc cl.*


1701.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Litteris CHRISTOPH. Salfeldii, REGIMIN. REG. BORVSS. Typog.



05 A 0203



S. U M M A R I A.

**I**Ntroitius. §. I. *Fabula de magis & sagis referta sunt scripta Viro-  
rum celeberrimorum tam Catholicorum, quam Protostantium.* §. II.  
Autores, qui defendunt non dari magie crimen, imprimis Jo-  
annes Wierus, Antonius van Dale, & Balthasar Beckerus. §. III.  
Commendatur Autor Cautionis criminalis de processibus contra sa-  
gas. §. IV. Qui tamen cum se Catholicum esse fingit, multa reli-  
quit industria aliorum. §. V. Concedimus dari diabolum eumque  
operari in improbis; negamus tamen dari crimen magie. §. VI. Dif-  
ferentia inter hypothesin nostram. Beckeri, & vulgarem. Definitio  
diaboli. §. VII. Beckeri & nostra hypothesis vindicata à sufficio-  
ne Atheismi. §. IX. Magia olim denotavit quacunque scientiam  
occultatam. §. IX. Non sermo est de magia naturali aut artificia-  
li, sed de dementia. §. X. cuius definitio à plerique inconveni-  
enter omissa. §. XI. proponitur. §. XII. Affirmanti dari crimen  
magia incumbere probationem, non nobis. §. XIII. Argumenta  
Carpzovii pro existentiā magie cum responsonibus nostris. Ad pri-  
mum: Jure divino debere magos interfici. Respondeatur, magos  
ibi non puniri propter pactum cum diabolo, sed propter idolatriam,  
§. XIV. Satisfit Carpzovio excipienti legem divinam non loqui so-  
lum de veneficis. §. XV. Nova objectio de magis Pharonis, quod  
illi pacta cum Diabolo habuerint, resolvitur. §. XVI. Desagā Sa-

## THESES INAUGURALES.

mucem evocante, item de Manasse. §. XVII. Pythonissa in Endor  
 decepit Saulem, qui neque Samuelem, neque ejus umbram, sed nibil  
 vidiit. §. XIX. Ad secundum argumentum Carpzovii provocanis  
 ad legem naturae respondetur, eum hoc assertum nonprobasse. §. XIX.  
 Ad tertium à Jure Civili desumptum respondetur, à Veneris ad sa-  
 gas N. V. C. §. XX. Au quareum, à testimonio scriptorum Pon-  
 tificiorum, respondetur, esse plane impertinens §. XXI. ubi simul o-  
 stenditur impertinentia doctrinae de pacto racto sagarum cum Dia-  
 bolo. §. XXII. Male inferri à pena homicidiarum & adultero-  
 rum ad pénam sagarum. §. XXIII. Ad quintum: expedire sagis  
 ipsis; ut quam citissime morte puniantur, respondetur, ostensione  
 multiplicis inconvenientie. §. XXIV. Respondetur ad conclusionem  
 Carpzovii §. XXV. Contra Spizelium ostenditur: nostram sen-  
 tentiam non sternere viam Atheismo; §. XXVI. cum male inferre  
 à magis, de quibus loquitur Scriptum, ad magos de quibus questio  
 est; §. XXVII. eum frustam provocare ad autoritatem patrum Eccle-  
 siæ, §. XXVIII. & magis frustra ad autoritates aliorum & experi-  
 entiam quotidianam §. XXIX. Transitus ad probationem nega-  
 tivæ, quod crimen Magia non detur. §. XXX. I. quia Diabolus  
 non potest corpus assumere. Satanæ Christum tentans non fuit  
 Diabolus corporeus. Prejudicia ex imagunculis Catecheticis  
 orta. §. XXXI. II. quia Christus dixit, Spiritum non habere car-  
 nem & ossa. §. XXXII. III. quia non potest diabolus turbare pot-  
 tentiam naturæ invisibilis. §. XXXIII. IV. quia ex mente dissentientium  
 diabolus tam impotens est spiritus, ut crepitu ventris possit  
 ejici. §. XXXIV. V. Nullus effectus est & nullus usus faderis Dia-  
 bolici cum hominibus, neque ex parte hominum, §. XXXV. neque  
 ex parte Diaboli. §. XXXVI. Exponitur origo fabula de criminis  
 magiae, & ostenditur, cur incipi debat à doctrinâ Grecorum. §.  
 XXXVII. Horum sententia de dæmonibus iisque corporis, &  
 horum commerciis cum hominibus. §. XXXVIII. Similis doctrina  
 apud Judeos Pharisæorum. §. XXXIX. Mixtura doctrina Phari-  
 saica & Platonica ac Stoïca apud Patres priorum seculorum, §. XL.  
 Cur restauratis Academias à Theologis Pontificiis quamvis Aristoteli-  
 telicam philosophiam proficiuntibus ista fabula Platonica ac Stoïca de-  
 dæ.



damonum commerciis cum hominibus fuerint canonisatae. Variaciones afferuntur. §. XLI. Leges Civiles nihil de pacto Diabolico cum hominibus memorant. Lex 4. Cod. de Malef. & Maledic. ab iniustitia vindicata. §. XLII. Glossatores Itali Juris Civilis quibus de causis erroneas multas doctrinas de crimine Magia Glossis inseruerint. §. XLIII. Origo & progressus in Germania sententiae de crimine magie & Magis etiam non nocentibus igne puniendis, tam anter reformationem, §. XLIV. quam post eam apud JCtos utriusq; religionis Protestantium. §. XLV. Frequentia processuum contrâ sagas in terris Lutheranis. Zelus Spizelii. Impernientia & evenitus Processus Suecici. §. XLVI. Causa cur hac frequentia hodie cesset, & ibes adhuc saniorum temporum §. XLVII. Nunquam in processu contra sagas adfuit corpus delicti, adeoque otiosum est querere de indicio hujus delicti. §. XLIX. Falsa indicia Magia illegalia. §. XLIX. Absurdissimum, quod insignis testatio externa pietatis sit signum Magia §. L. Indicia Magie que suppeditantur in Constitutione Criminali sunt etiam insufficientia. §. LI. I. Oblatio ad docendam Magiam. §. LII. II. Mina de damno dando alteri per Magiam §. LIII. III. Conversatio cum Magis & sagis. §. LIV. IV. Si quis utatur rebus de Magia suspectis. §. LV. Cautio unica circa processum. Ne Princeps permitat processum, neque iudex inferior de Crimine Magie inquirat. §. LVI.

## §. I.

**D**E Magia criminis dum meditor, an tale thema sit, quod post tot traectus Scriptorum quâ Pontificiorum quâ Protestantium, tam ex Theologorum quam JCtorum classe denique in cathedram revocetur; atque eum in finem variorum scripta de magia evolvo, non solum admiratus sum, quod ubique ferè multas nugas & fabulas, nullibi autem solidi aliquid, sed saltē hinc inde umbras quasdam veritatis deprehenderim, cum tamen & materiæ dignitas, & tot innocentium horum peticulum, & totius humani generis interesse, ut à stultissimâ su-

A 3

per-

perstitione liberetur, dudum postulaverit, ut eruditis non solum, sed & vulgo hominum oculi aperirentur, atque errores plusquam Papistici, qui hactenus mentes universorum fascinaverant, ex animis eorum expellerentur. Cogitanti autem rursus causas, (de quibus infra dicetur) ob quas ista falsa persuasions de crimine magia, & de foedere magorum & lamarum cum diabolo, adhuc quotidie inculcentur populo, & iis, qui larvam hanc falsa sapientia detrahere & veritati locum facere allaborant, tantum non ab omnibus, etiam piis alias ac placidis viris pro hominibus impiis & atheis, aut plane pro ipsis magis haberi soleant, simul perspexi, quod & mihi cautè propinquendum sit, immo iudicavi, quod vires meas istum propositum serè superet, dignum hic aliquid proferendi vel aporobatione publica, vel etiam assensu paucorum veritatem sincerè querentium. Prius enim sperare non permittit autoritatis præjudicium, cui quam plurimi adhuc immersi sunt, posterius autem adeò expectare non possum, quia & imbecillitas ingenii, & errorum hic occurrentium copia, & temporis, quod elaborationi huic destinatum est, brevitas mihi potius persuadent, ut ab his veritatis studiosis veniam petam, si in re arduâ ac difficulti theses meæ ipsorum expectationi non sint responsurae, & simul sincerè declarem, me quibusunque diversa vel ex facris literis non contortè expositis, vel ex dictamine rationis reæ monstrantibus, statim assurrecturum esse.

§. II. De Scriptoribus equidem Pontificiis, Torreblanca, Bodino, Remigio, Del Rio, aliquis non mirum est, quod fabellis pudissimis orbem eruditum, quamvis fortè bonâ fide, deciperint; postquam hodiè quibusvis constat, Papismum totum esse fabulam ex Gentilismo ac Judaismo conflatam, infra vero dicenda sunt ostensura, quod prima origo doctrinæ de crimine Magia fraudi Gentilium, & stupiditati ac superstitioni Judaicæ originem debeant. De his igitur vere judicavit Naudæus in *Apologia Virorum de magia falso suspectorum cap. ult.* *Ala verité c'est une chose étrange, quo Del Rio, le Loger, Bodin, de Lancre, Gödelmann, qui sont encore personnes de crédit, & de mérite, ayant écrit à passion sur le sujet des Demons, sorcieres, & Magiciens, que de n'*

n' avoir j.amp;is rebutt<sup>e</sup> acune historie, quoique fabuleuse & ridicule , de tout ce grand nombre de fausses & absurdes , qu'ils ont mis pesle mesle sans discretion parmy les vrayes & legitimes . Sed utinam de Protestantibus scriptoribus non foret idem dicendum ! Jam verò cum in Goedelmanno etiam hunc defecatum notet Naudæus, qui tamen totus in eo est, ut ostendat , Lamias non inire paustum cum Diabolo, sed solum Magos, quid de aliis exspectes scriptoribus, qui Goedelmannum cum Wiero damnant, quod Magiam defendere aut negare ausi fuerint. Sanè Carpzovius Criministarum Protestantium hodiè Monarcha (ut rem barbarem barbaris vocabulis efferam , ) in *Praxi Crimm. part. 1. qu. 48.* id ex professo egit, ut rationes, quæ ex Wiero contrà existentiam Magiæ afferri possent, responderet, & communem errorem defenderet, cum tamen fabulae quas ex actis variis, *ibidem & in sententiis 36. questioni, 50. sub junctis* recenset, tām crassæ sint, ut vel legisse easdem pudeat.

S. III. Scilicet jam circa initium Seculi decimi sexti Jo. Franciscus de Ponzinibus JCTus existentiam federis Diabolici in dubium vocavit, (*Vid. Part. 2. Mallei Maleficarum in fine*) Circa finem autem ejusdem Seculi Jo. Wierus Medicus de præstigiis Demonum tractatum satis prolixum edidit, in quo intendit ostendere, non dari Magiæ crimen, prout vulgo concipitur, & in apendice variis apologiis adversus varios censores hanc ipsam sententiam suam defendere satagit. Nam quem ulterius citat Carpzovius *d. qu. 48. n. 13.* Petrum de Apono, quando scripsit, nondum nobis constat, cum de eo autore nihil adhuc viderimus nisi forsan Carpzov. Petr. de Abano intelligat, cuius *elementa magica* nota. Sed tamen, uti omnibus accidere solet, qui in inventione veritatis primam glaciem frangunt, viderunt multa dicti Autores, multa etiam præterviderunt, adeoque non adeo apti fuerunt, mundum per tot secula præjudicio erroris fascinatum erroris convincere. Petro Pomponati librum de *incantamentis & Reginaldi Scoti Angli tractatum similem* in Anglia autoritate publicâ combustum etiam non vidimus, quorum ille plerasque traditiones de Magis occultæ naturæ efficacia, hic autem melancholiz & morbis variis, aut arbitribus

## THESES INAUGURALES

tibus histrionis adscripsit. *Vid. Voet. Disp. Select. Part. 3. p. 564.* Nostris temporibus Gabriel Naudeus dum apolegiam scripsit pro iis, qui vulgo Magia sunt accusati, multa quoque erudita suppeditavit argumenta oppugnandi sententiam communem. Ex ipsis scriptoribus Pontificiis modernis Malebranchius lib. 2. cap. ult. de inquarenda veritate in sententiam eorum, qui imaginationi historias magicas adscribunt, inclinat. Prae reliquis vero commendari meretur Anthonius van Dale, alias Medicus Belga, cuius eruditas dissertationes de oraculis, item de origine ac progressu idolatriæ & superstitionum, de vera ac falsa prophetia, & de divinationibus idolatriæ Iudaorum orbis eruditus astimatis, ubi majori cum apparatus multos communes errores de diabolo ejusque effectibus revelavit, sed paucis, imprimis Thologis, doctrinam suam persuasit, excepto, quantum nobis constat, uno Theologo Belgâ, Balthasare Bekero, qui plurima, quæ in tractatu de mundo fascinio prodidit, videtur ex laudato Medico hausisse. Sed quam infeliciter iste assensus Bekero cesserit, notum est, cum Diaboli vim omnem externam in homines, ac propè ipsam substantiam ejus aperte negaret, (quod Dalius subobscurè in scriptis suis fecit,) quo pacto non poterat non adversariis suis multa suppeditare arma, quibus etiam per indirectum veritates simul ab eo propositas oppugnarent, & errores communes utique defenderent.

§. IV. Cautius hâc in re processit JCtus anonymous, qui ante septenium cautionem criminalem de processibus contra sagas edidit, eumque Magistratibus Germaniæ dicavit. Is enim nec Diabolum negat nec sagas. Sed statim dubio primo: *An sage seu malisci revera existant, respondet: Quod sic. Esi enim scio, inquit, nonnullos in dubio posuisse, etiam Catholicos & doctos, quos nominare non attinet; eis etiam quidam non temere sufficiati sibi vindicentur, fuisse aliquando in Ecclesia ea tempora, in quibus de corporalibus sagarum conventibus creditum non fuit: Esi denique ipse ego, dum cum variis ejus criminis reis in carceribus frequentius ac attenuatus, ne dicam curiosus, ita non semel animum involvi, ut quid tandem hujus rei crederem, penitus ignoraverim; nihilominus ibi summa tandem audita.*

colligo perplexarum cogitationum, id omnino renendum esse existimo, revera in mundo maleficos aliquos esse, nec id sine temeritate ac preposteri judicii nota negari posse. Videantur auctores, qui argumentum hoc proficiuntur, Remigius, Delrius, Bodinus & alii, nostri instituti hic non est, morari. Tot autem esse, & eas omnes, que hactenus in villas evolarunt, neque credo vel ego, vel multis quoque mecum pri viri, neque adeo, ut credam facile, persuadebit, quisquis tecum non impetu & clamore vel auctoritate pertendere, sed judicio & ratione rem examinare voleret. Effecit haec suâ prudentiâ quisquis est auctor, ut præscinderet diversa sentientibus occasionem, ipsum ex præjudicio communis pro atheo habendi, & sic eò melius rationes suas & evidentes & fortissimas eò fortius animis cordatorunt, Politicorum imprimis insinuaret. Et certè tanti ponderis nobis videtur iste libellus, ut quemadmodum hucusque nemo eum impungnavit, ita nec putemus dari posse Jctum aut Politicum sanx mentis, qui perleto isto libello vel dubitare saltet de iniunctate processus contra sagas amplius possit, tantum abest, ut refutare libellum hunc intendant. Quod si vero alterius conditionis homo quicunque ejus refutationem meditetur, non posse id fieri credimus absque insigni & eminenti sui prostitutione, ita omne tulit punctum auctor iste anonymous.

## §. V.

Quid ergo dissertatione nostrâ erit opus? Evidem ipsi met fatemur, potuisse è nos abstinere & Catone isto contenti esse. Sed tamen nec superfluam eam fore confidimus. Dixit Autor iste, quicunque sit, se esse Catholicum, ut eò fortius videlicet stuporem Jctis Protestantibus excuteret, si videbent, in medio Papatu Jctos palpare tenebras, per operas Cletri Papalis hactenus lumen Jurisprudentiæ nostræ obscurantes. Sed quilibet tamen attentior facile videbit, istam auctoris assertionem esse salutare figmentum, & sub hac larvâ latere Jctum quendam Protestanter, forcè etiam, præter adductum rationem, cathedras hominum adhuc inter nostrates Papizantium timentem. Sed & ob multas rationes putamus figmentum esse & dissimulationem, quod in adducto §. præced. loco sagas dari

(tales videlicet, quales Remigius, Delrius Bodinus adstruunt pacta cum diabolo ineuntes,) afferat. potissimum id suadet, si quis eruditionem & diligentiam, quibus in responsione ad reliqua dubia utitur, conferat cum frigiditate & ineptâ ratione, quæ transparent in adductâ responsione ad dubium primum. Scilicet voluit Scenæ inservire. Fingebat se esse Catholicum. Si dixisset, non dari sagas, disputandum ei fuisset contrâ eos, qui sagas dari adstrunt, ostendenda origo fabularum, ostendendæ fuissent causæ, cur vana ista persuasio tanto conatu fuisset hactenus defensâ. Ita vero nemo credidisset, scriptum hoc à JCto Catholico produisse. Quemadmodum igitur hæc, quæ omisit Auctor *Cautela Criminalis*, multis suppeditabunt theses disputationi nostræ, ita & in illis, quæ ad processum pertinent, secundæ curæ forte nonnulla nobis ostendentur ab Auctore isto, quem nullo modo exscribere animus est, prætervisa ac omissa.

## §. VI.

Igitur quemadmodum Gœdelmannus concessit pactum magorum cum Diabolo, negavit pactum Lamiarum; Bekerus autem Diabolum aut certe ejus efficaciam ullam in homines negavit; Auctor vero *cautela criminalis* faltem ita se gessit, ac si dari sagas & pacta earum cum diabolis crederet, denique vulgus eruditorum & dari diabolum & dari sagas multas & justissimum ac piiissimum esse processum hactenus usitatum contrâ eas, non solum sibi, sed & aliis persuadere laborat; ita nos peculiari opinione ab his omnibus diversâ arbitramur, dari diabolum extra hominem, eumque ab extrâ intrinsecè tamen & invisibiliter operari in hominibus improbis, sed negamus dari sagas & magos pacta cum diabolo ineuntes, quin potius arbitramur, hanc fabulam ex Judaismo, Gentilismo ac Papino conflatam esse, & iniquissimo processu, hactenus etiam apud Protestantes usitatissimo, stabilitam.

## §. VII.

Quod Bekeri hypothesin assumeremus, (& fortè etiam ipsius Dalii) non opus haberemus argumenta querere quibus

mon-

monstretur, non dari pæcta magorum cum diabolo, cum non-  
entis nulla sint prædicata. At cum hic à Beckero dissentia-  
mus, alia viæ opus erit. Nec putes etiam nos saltem per fi-  
ctionem ad invidiam evitandam à Beckero dissentire. Seriò  
id facimus, & omnem suspicionem sequiorem non solum depre-  
camur, sed & disertè definitione Diaboli mox proponendâ refuta-  
mus. Quomodo asseclæ Philosophiæ Aristotelicæ, quæ etiam adhuc  
in cathedris superioribus tantum non ubique regnat, & unde  
communis error de magis nutrimenta sua sumfit, Beckeri do-  
ctrinam refutare posfit, non videmus. Nec etiam putamus, pos-  
sibile esse, ut asseclæ philosophiæ corpuscularis & mechaniciæ  
seriò dissentire posfit à Beckeri principiis & conclusionibus,  
si modo intelligent ipsimet, quid dicant, & ut alii id etiam abs-  
que conceptibus contradictoriis intelligere queant, efficiant.  
At nos, qui Philosophiam antiquissimam spiritualem sequi-  
mar, non solum credimus; sed & aliquo modo scimus, diabe-  
lum esse principem tenebrarum & aeris, h. e. substantiam spiri-  
tualem seu invisibilēm spirituali seu invisibili modo mediante  
aere vel corpusculis naturalibus aqueis aut terrestribus ope-  
rantem in hominibus improbis.

## S. VIII.

Non possumus tamen comprehendere, cur illi, qui dia-  
bolum cum Beckero negant, haec tenus etiam à viris piis pro  
Atheis fuerint habiti, cum potius Adæmonum nomen meru-  
erint. Nam uti posito Deo non statim ponitur Diabolus; ita  
nec remoto diabolo statim Deus removetur. Ita miramur,  
cur plerique, qui haec tenus crassissimas fabulas de diabolo e-  
jusque viribus sibi & aliis persuadent, paucissimas saltem vel e-  
tiam planè nullas fabulis de bonis Angelis & earum virtuti-  
bus possint ferre, sed harum auctores, aut qui eis fidem habent.  
Enthusiastarum & simili nomine traducant, h. e. cur major sit  
cura stabiliendi erigendique regni tenebrarum, quam  
regni lucis? Imo facile etiam pravidemus, quod hæc se-  
ria nostra assertio de existentiâ & operationibus dæmonum nos  
non sit liberatura à convitiis, vel ex eo solo, quod negamus da-

ri crimen magiæ, seu pactum cum diabolo. Nam inter fabulas, quas Bodinus in *demonomania* refert, etiam illa est, quod Wilhelmus Luranus quidam anno 1453. in Galliâ ob Magiam imperfectus expresse confessus fuerit, quod non tantum in fide re suo cum Diabolo inito omnes religiones ejurare, sed & Diabolo promittere debuerit, quod in posterum publicè docere & concionari velit, omnia, quæ de magiâ & negromantiâ dicantur esse pura mendacia ac fabulas, & quod summa crudelitas sit, aliquem ob crimen magiæ punire. Sed facile quilibet, cui saltem nasus est, odorabitur, quam ob rationem Clerus Pontificius hoc effinxerit, aut istum Luranum tormentis adegerit, ut talia confiteretur. Id modo dolemus, etiam viris piis ex nostratis Theologis has nugas & similes alias imposuisse, ut & ipsi negantes crimen magiæ classi Atheorum accenseant. Sit unus instar omnium Theophilus Spizelius, qui vel ob hanc solam causam videtur scripsisse tractatum Germanicum, cui titulus die gebrochene Macht der Finsternis, ut adhortaretur Magistratus Germaniarum ad processus contrâ sagas acerrimè continuandos & eos, qui pactum diaboli negant & processum contrâ sagas impungnant, de atheismo & impietate suspectos redderet. Nos, uti non recriminamus, sed Spizelio illud Virgilii mitissimè opponimus:

*Fallit te incutum pietas tua:*

Sic pro nobis nihil aliud afferimus, quam ut saltem quemcunque rogemus, cui sana ratio est, quo argumento quis in ferre possit, eum de impietate esse suspectum, qui neget crimen magiæ. Illos vero, qui pro auctoritate fortè adhuc talia pronunciant, aut pronuntiatur sunt, maxime operè precamur, ut propriam pietatem scrutentur & excruciant annon fortè insignis, quamvis insigniter adhuc pallietur, hypocrisis sub ea lateat, & tum demum proprio corde probe examinato de aliis, si putent, regulas Christianismi id exigere, sinistre judicent.

§. IX. Dum vero negamus crimen magiæ, alios exscribere nolumus, qui fusius notarunt, magiæ nomen olim honorifice fuisse usurpatum & solis sacerdotibus tributum. *Vid.*

*Bodin.*



*Bodin. lib. 2. demonam cap. 1. Ofiand. de magia ibef. 1. §. 4. Cel.  
Rhodig. lib. 5. c. 42. Peucer. de divinat. p. 287. Goedelm. de magis l. 1.  
c. 2. 3. id tamen existis auctoribus notamus, videri magiam  
antiquitus quidem quamcumque sapientiam & scientiam sed  
occultatam denotasse, h. e. scientiam rerum, quarum causas non  
saltem ignoraret vulgus, sed & quarum cause maximè occul-  
tarentur, ut vulgus in ingnorantia perpetua detineretur easque  
vitribus potentia humana superioribus adscriberet. Robo-  
rat hanc observationem divisio Magiae communiter recepta,  
quæ magia dividatur in naturalem, artificialem, & dæmoniacam.  
Nam in his singulis speciebus supponitur quedam scientia re-  
rum non quārumvis, sed rerum occultarum aut certè occulta-  
tarum.*

§. X. Porro, dum iterum communiter Magia in licitam  
& illicitam dividitur, communis etiam convenitus est, in quo &  
ipso convenimus, magiam naturalem & artificialem ad licita ge-  
nera pertinere, solam dæmoniacam crimen esse. Ergo non opus  
est, ut de prioribus duabus simus ulterius solliciti, cum de sola  
ultima specie sermo sit, an detur! Solet autem hæc ultima appellari  
idiomate Patrio Bauberey. Qui enim Magiam etiam naturalem  
aut artificialem germanice ad genera der Bauberey retulerit, præ-  
ter Spizelius d. tract. Part. I. c. 1. p. g. observavimus neminem. Sed  
& hæc inadvertentia condonanda est pietati & simplicitati Viri,  
qua ex integro ejus tractatu ejusque singulis paginis eluent.

§. XI. Itaque queritur: An detur Magia dæmonica? Hic  
vero ante omnia præmittenda ejus definitio, quod plerique ne-  
gligunt non satis apta. Ut enim, cum de reb⁹ insensus non incur-  
rentibus sermo est, frustrè de questione, quid sint disputetur,  
antequam de eorum existentia constiterit; ita contra in rebus  
moralibus & juridicis ac in quibusunque aliis ideis entium pha-  
rium aggregatorum, vel etiam actionum humanarum inepit  
queritur de questione, an sint, antequam ea sint definitæ.

§. XII. Definimus autem ex scriptis ac communī consensu  
eorum, qui id adstruunt, crimen Magiae, quod sit delictum,  
quo quis cum Diabolo sapè in corporali specie vel bestiæ, vel ho-  
minis

minis, vel monstri comparente, pactum init, quod velit, si Diabolus ipsius voluptati, avaritiae aut ambitioni satisfacere velit, cum Diabolo scortari, in certo loco ope Diaboli per aera magos vehementis comparere, ac ibi cum alijs similibus Diabolum adorare, ac tripudiare & luxuriari, ope Diaboli hominibus, bestiis & frugibus, vel tempestates excitando vel alio præternaturali modo damna dare, & post certum temporis spatium animâ & corpore Diaboli mancipium esse ac in æternum manere.

§. XIII. Cum itaque jam queritur an tale crimen Magiae detur, ita procedendum esse putamus. Omne delictum, in facto consistit. Factum non præsumitur. Ergo qui asserit, dari crimen Magiae id probare debet, non à negante probationem expetere. Etiam si enim pro negativâ nullam rationem afferremus, pro nobis tamen sententia etiam à judice indoctissimo esset pronuncianda. Age igitur prodeat initio Carpzovius & crimen Magiae dari contrâ Wierum & alios ostendat.

„§. XIV. Primum juri divino convenit sententia, quæ vult, „Sagas & Magos esse cremandos, quia DEUS jam pridem sen- „tentiam tulit in Maleficos, Pythones, Sagas & Incantatores „Exod. XXII. v. 19. quod debeant interfici. Vid. Carpzov. dict. qu. „48. n. 40. Sed quæ connexio? Malefici illi, de quibus loquitur lux divina, non sunt Magi, quales nos definivimus. Non inie- „runt pactum cum Diabolo; quæcunque egerunt, egerunt absq[ue] pacto tali, sive id egerint artificiali deceptione sive occultis viri- bus naturæ, h. e. sive Magiæ naturali, sive artificiali, id nobis per- inde est, modo non diabolicæ. Nec obstat, quod has Magiae classes inter licitas retulerimus, & DEUS tamen Magos, ut delinquentes voluerit puniri. Poterit enim id, quod ratione modi licitum est, ratione intentionis & scopi esse illicitum. DEUS eos puniri voluit, non ut tales, qui pacta cum Diabolis inirent, aut hominibus damnum darent, sed qui auctores & propagato- res essent idolatriæ.

„§. XV. Sed, pergit Carpzovius, lex divina neutiquam de- „veneficis tantum, qui veneno malo propinato mortem procu- „rant, restringenda est, ut putat Wierus, sed omnes denotat, qui

„ qui præstigiis aliis offendunt, quales erant Magi Pharaonis Exod.VII. Verum videat Wierus, quid ad hanc sententiam Carpzovii respondeat. Nos enim alia usi simus in §. *precedente* via. Nec nobis obstat hæc Carpzovii exceptio. Quibuscumque enim præstigiis usi fuerint Magi Pharaonis, nihil tamen fecerunt ex pacto cum Diabolo aut ope talis pacti, & non tam ob istas præstigias, quam ob idololatricam superstitionem jussi sunt à DEO interfici.

§. XVI. Attamen, possit quis pro Carpzvio urgere, non potuerunt ex præstigijs, quæ è Magis Pharaonis editæ sunt, per Magiam naturalem aut artificialem fieri. Non per illam, quia alias & Mosis operationes non fuissent miracula, sed opera naturæ: Non per hanc, quia vix imaginari mihi possum, quomodo id possibile fuerit, ut per illusionem baculi Magorum mutati sint in serpentes. Ergo per Daemoniacam. Ad hæc respondeo,  
 1. Nondum constare, quænam sit differentia inter miracula & opera naturæ. Nam quæ communiter de operibus naturalibus, præternaturalibus & supernaturalibus, item de differentia inter potestatem divinam & diabolicam ex Metaphysica Scholastico-rum docentur, & insystemata etiam superiorum facultatum transferuntur, mera nugæ sunt ac petitiones principii. 2. Non sequitur: Magi Pharaonis ex occultis viribus naturæ, i. e. philosophiæ Aristotelicæ & Cartesianæ (quarum neutra quicquam, aut hæc certe non multum solidi quoad causas naturales demonstravit,) incognitis produxerunt istos effectus, ergo Mosis opera fuere etiam naturalia. Nam quæ à Mose & Aarone posse à edebantur opera, quæ à Magis non poterant similiter produci, satis probabant potentiam potentiam Magorum superiorem, ut adeò velex hac ratione non possimus argumentarià Magis ad Mosen. 3. Et cui non notum est illud; Duo cum faciunt idem, non est idem? 4. Multa nobis imaginari non possumus esse per artem possibilia, quæ tamen vilissima sunt, si ostendantur. Et infinitæ sunt præstigiæ, quæ homines viribus supernaturalibus adscribunt, cum tamen sint mera illusiones. Huc refer ista artifia Abrahami Colomni cum chartis lusoriis recensita à Spizelio d. l. p. l. c. b. p. 26. quas tamen hic auctor absq;

ullâ

ullâ ratione Diabolo adscribit. 5. Si ope Dæmonis Magi pharao-nis produxerunt, quæ produxerunt, vel Dæmon id fecit queri-  
res naturæ, vel per præstigias & illusiones. Non per illas, quia  
aliás & Mosis miracula fuissent operationes naturæ: Non per  
hanc, quia vix imaginari nobis possumus, quomodo id possi-  
bile fuerit, ut Diabolus potuerit illudere sensibus hominum.  
Saltem argumentum hoc in eum finem afferro, ut ostendam, fa-  
cile objectionem nobis factam, in adversarios retorqueri posse.  
Nam ego quidem nolo personam respondentis mutare in perso-  
nam opponentis.

„ §. XVII. Sed idem tamen disponitur, ita pergit Carpzo-,,  
vius, Lev. XX. v. 26. ubi lex jubet omnes magos interfici. Et ista,  
lex in populo Israélitico semper fuit in viridi observantia, quod,  
testatur exemplum Pythonissæ in Endor quæ formidabat Sau-,,  
lem: quia sub pœnâ capitî magicam artem prohibuerat. Rex,,  
Manasses etiam & totus populus Israéliticus propter artes ma-,,  
gicas fuere à Deo graviter punitiæ. Respondeo 1. Confundi-,,  
tur semper Magia idololatrica cum Diabolicâ illâ, quâ pactum  
initur cum Diabolo. 2. Carpzovius non tam sollicitus est, ut pro-  
bet dari magiam, quæ tamen esse debebat primaria quaestio in  
disputatione adversus Wierum, quam ut probet, magiam esse  
capitaliter puniendam 3. Quamvis nec hoc probetur firmiter  
ex allegatis legibus divinis, utpote quæ pure forenses sunt, &  
Christianos non obligant. Jubet eadem lex, filiam Archisacer-  
dotis scortantem igne cremari, cur non igne cremantur filii Su-  
perintendentum nostrorum si talia committant? Sanè major  
convenientia est inter Archisacerdotem Judaicum & Superin-  
tendentem hodiernum, quam inter Magos illos, de quibus lo-  
quitur lex Judaica & eos, de quibus disputamus. 4. Deuter.  
XIX. v. 10. & 11. ubi Deus multas species magiæ, quam Israeli-  
tis prohibuerat, recensentur, nulla sit mentio magiæ talis Diabo-  
licæ, de quâ disputamus, sed omnes ibi recensiti fuere idolola-  
træ & deceptores ac agyrtae, quod latius probat Dale in tracta-  
tibus de oraculis & de divinationibus idololatricis Judeorum.

§. XVIII. Adujuvabimus ipsi Carpzovium. Ista enim Py-  
tho-

thonissa in Endor produxit vel Diabolum sub specie Samuelis vel ipsam animam Samuelis, quod absque ope Diaboli fieri non potuit. Respondeo 1. Nulla diaboli multo minus pauci cum eo in scripturâ fit mentio. 2. Nec apparuit Diabolus, nec anima Samuelis, nec species ejus, sed mera fuit illusio. Fuit ista fœmina ex eorum classe, qui ex ventre loqui possunt, & ita decepit Saulem, quod etiam conveniens est textui 1. Sam. XXXVIII. Nam Saul nihil vidit, sed audivit saltem vocem, & solum fœmina dixit, se videare aliquid.

§. XIX. Igitur primum argumentum Carpzovii nihil probat. Videamus secundum, in summam tamen contractum. Cum, hæc lege divinâ non modo congruit lex naturæ, ut appareat ex sanctionibus Ethnicorum, pœnas capitales Magis decernenti, um, veluti & Plato lib. II. de Legibus mortis pœnam ponit Magis, sed & eandem sequuntur concilia, quibus variæ pœnæ in magos & beneficos constituuntur, eademque fuit praxis apud, populum Romanum & Persas. Respondeo 1. iterum confunditur quæstio de existentia Magorum cum Diabolo pacientium, cum quæstione de pœnâ Magiæ naturalis & artificialis. 2. Confunditur lex naturæ cum moribus quarundam Gentium. 3. Parum aptè miscetur moribus Gentium phantastica Respublica Platonis.

§. XX. Tertio, pergit Carpzovijs, de jure quoque Civili Magis seu Beneficis pœnam capitalem infligendam esse dubitandum prorsus non est. Respondeo 1. Benè, quod Carpzovius dicat Magis seu Beneficis. Igitur planè aberratur à quæstione de quâ disputamus. Neque enim Venefica Germanicæ est eine Heret. ut vulgo ob istud commune erroris præjudicium interpretamur, sed eine Gissimischerin. At vero ad beneficium tale nullâ diaboli ope ac fœdere opus est. 2. Leges ipsius nusquam mentionem faciunt pœtorum cum diabolis, sed augurum, auspicum, mathematicorum seu astrologorum &c. Ut taceam alias responsiones ex præcedentibus hic iterum repetendas, & quod ultius pro existentia criminis magiæ Jus Civile non magis possit allegari, ac pro existentia cuiuscunq; entis.

§. XXI Jam ad potissimum momentum probationis Carpzovianæ accedimus. Quarto, negari non potest. Magos & sagas pactum habere cum Diabolo, in quo abjurant fœdus, quod,, cum Deo inierunt in baptismo, testibus Bodino, Remigio, Chirando &c. Resp. Pudere debuissest Carpzovium, in re, ubi momentum questionis situm est nil aliud profert, quam testimonia scriptorum Pontificiorum, repentium libros suos partim fabulis anilibus ac Clericalibus, partim depositionibus hominum melancholicorum, aut crudelissimis tormentis ad dicendas res de quibus interrogabantur, adactorum. Si nostri Jure-Consulti hucusque non exscripsissent absque judicio alios & imprimis Pontificios, sed res quæ Physicas, quæ Morales, de quibus leges disponunt, secundum naturam suam intellectu quilibet proprio considerassent, jam dudum Jurisprudentia nostra etiam habita fuisset pro disciplinâ ad veram Eruditionem pertinente ab eruditis. Jam cum unus exscribat adhuc absq[ue] iudicio alterum, & summo stupore putet se non invenisse, quod pueri in faba, si casum aut questionem inveniat in terminis terminantibus, vitio non debemus vertere Eruditis, si cum nomen Icti audiunt, concipient sibi in terminis terminatibus Rabulam aut Legulejum. Sed ad Carpzovium nostrum.

§. XXII. Pergit ille : Licet non omnes Magi expressè,, cum Diabolo paciscantur eique obsequium perpetuum promittant, Deo tamen renunciant commercium cum Diabolo habentes, quo ipso tacitam seu implicitam pactionem contrahi manifestum est. Respondeo. 1. Si nullum pactum expressum datur, uti haec tenus tale nullum fuit demonstratum, de pacto tacito frustrâ queritur. Qui enim non expressè contrahere potest, & cum quod expressè contraheri nequit, is etiam non contrahit, nec cum eo contrahitur tacite. 2. Id in questione est, an Magi qui prestigiis Homines decipiunt, commercium corporale cum Diabolo habeant, & ita Deo tacite renuncient. 3. Si illi, qui commercium spirituale cum Diabolo habent, pactum tacitum cum Diabolo faciunt, & tanquam Magi crenandi sunt, fiet summa con-

confusio omnium delictorum. Nam fures, adulteri, mendaces & omnes, qui operantur opera carnis commercium spirituale habent cum diabolo.

§. XXIII. Addit Carpzovius : Homicidarum ac adulterorum pœnam capitalem esse, Magiam autem esse crimen deteriorius homicidio & adulterio, imo sagas, dum infantes proprios Diabolo sacrificant, esse homicidas, & dum succumbunt Diabolo, esse adulteras. Respondeo semper misceri quæstionem de pœnâ magiæ cum quæstione de magiæ existentiâ, & quoad hanc semper peti id, quod est in principio.

§. XXIV. Restat ultimum argumentum Carpzovii. Quinto dicit : Sagis ac Lamiis ipsismet conductit, ut quam mature, è medio tollantur. Nam Diabolus tam pertinaciter eas laqueis suis involutas habet, ut citius non dimittat, quam moriantur. Quo in genere fidem non immerito habemus Remigio, Duci Lotharingiæ Consiliario qui judicii capitalibus, non gentium plus minus magorum interfuit testanti, quod ex tot milibus, quos sortilegii laqueis irretitas habuerit Satan, nemo auditus sit, qui se aliter expediverit, quam culpæ vel coactâ vel liberâ professione ac deinde ejus morte luitione. Respondeo. 1. Quis putaret J Ctos Lutheranos eō absurditatis potuisse abduci, ut Carnifecem pro instrumento ordinario conversionis habent? 2. Cur vero Remigio iterum credit cœcus Carpzovius, homini supersticiose & mancipio Cleri? Rationes ob quas fidem ipsi Carpzovius adhibuit, quod in Lotharingiâ tot judicis de magiæ interfuerit, apud nos fidem ejus destruunt. 3. N'equo intellexit Remigium Carpzovius, qui non illud dicit, quod hic deducit, sed quis saltem dicit non potuisse se liberare à pactis cum Diabolo sagas, antequam crimensint confessæ, quam confessionem postea per leges Clericales necessariò mors secuta fit. 4. Si Jurisprudentia Carpzovii opus habet, ut ab aliorum auctoritate, aut fabulis dependeat, cur non potius creditit Theologis nostratibus, qui docent, multos magos absque pœnâ mortis fuisse iterum in ordinem redactos, & qui diabolum depingunt tanquam spiritum ita impotente & enervem, ut crepitum ventris possit expelli,

ū, & nequeat chirographum ejus, qui cum ipso pactum iniit, auferre ex Bibliis, quod tamen minimus catellus potest. *Videantur Lutheri Dischreden & Spizelii gebrochene Macht der Finsterniß P. r. c. II. p. 21. seqq. & P. III. per integr. 5.* Pulcrum vero argumentum, quo etiam homicidium defendi posset, si quis hominem fruges consumere natum, iue Gallicā infestum, aut morbo maximè dolorifico laborantem interficiat, sub prætextu, quo d' ipsi conducat, ut quam mature ē medio tollatur 6. Non intelligit fines pœnarum capitalium, qui hoc lubrico & vix tyronibus condonando prætextu pœnam capitalem defendere vult.

§. XXV. Claudit Carpzovius suam probationem: Jam, judicet quivis, qui vel tantillum pietatis ac sanæ mentis habet, an non rectè ac probè agat Magistratus in Magos & Veneficos, animadvertis. Nos contrà: Jam judicet quivis, qui vel tantillum prudentiæ ( nolumus enim allegare Carpzovii pietatem imprudentem, quæ in fide anilium fabularum consistit, ) ac sensus communis habet, an non turpe sit tanto JCto, in re tam seria ac tanti momenti tam turpiter ludere.

§. XXVI. Sed opem ferat Carpzovio Spizelius, JCto Theologus. Nolumus hic detegere turpitudinem viri pii, & omnes názvos libri ejus scr̄ptis citati ostendere, sed solum paucis expendere argumenta potissima, quibus in *Parte II. cap. II.* probare vult reale ac verum fœdus hominibus cum Diabolo intercedere. Primum p. 112. dicit, sententiam contrariam esse errorem malitiosum & crassum, cui ante multos annos Thomas de Aquino, Bonaventura, & Johannes à Turrecremata tanquam communissimæ & damnosissimæ hæresi contradixerint. Imo esse errorem periculosissimum & pestilentissimum, quia viam sternat Atheismo. Resp., 1. Hoc non est probare sententiam affirmantem, sed Zelo intempestivo invehere in dissentientes. 2. Thomas de Aquino, Bonaventura & Johannes de Turrecrementa haud dubiè contradicerent etiam doctrinæ Lutheranæ tanquam damnosissimæ hæresi, & tamen Spizelius eorum auctoritate non commoveretur, ut eis crederet. 3. Sententia hæc, quod non detur crimen Magis non sternit viam Atheismo. Sed potius illi Theologi & Concio-

na.



natores, qui pro concione & in scriptis loco doctrinæ salutaris proponunt dogmata anilia & superstitionissima in causa sunt, ut homines aliquâ fâtem ratione & sensu communi pollentes & ab extrema superstitionis labef liberare cupientes, incauti incident in alterum extremum Atheismi. 4. Imò sententia communis, quam Spizelius defendit, inducit homines in crassissimam & plusquam puerilem superstitionem. At superstitionis & stultius & pernicius vitium est, quam Atheismus, ut latius deduxit haec tenus à nemine cum successu refutatus Bailius in cogitationibus promiscuis super Cometâ.

§. XXVII. Pergit Spizelius p. 214. Si non essent pacta rea, lia & vera magorum cum Diabolo, non promulgasset DEUS leges peculiares contrâ Magos, & omnia falsa forent, quæ in scripturis de Magis dicuntur. Respondeo, nullam esse consequentiam, quia per haec tenus dicta nondum ullâ ratione verosimili probatum est, quod illi Magi, quorum Scriptura meminit, habeant pactum cum Diabolo.

§. XXVIII. At, inquit Spizelius, si non daretur foedus, Magorum cum Diabolo, impudentissimè contradiceremus, omnibus & singulis antiquis & de Ecclesia Christiana egregie, meritis Doctoribus, Augustino, Tertulliano, Epiphanius, Chrysostomo, qui non tantum foedera Diaboli cum hominibus pro veris & realibus habuerunt, sed etiam maximo conatu, se iis opposuerunt. Respondeo 1. Impudentius est, uti auctoritate Patrum ad defendendas fabulas pueriles. 2. Doctores de Ecclesia Christiana egregie meriti sunt sapientius propter pietatem suam & simplicitatem maximè creduli, & iis adhuc hodie sapientius imponitur per homines mendaces, aut hypocritas. 3. Nihil tam absurdum est, quod non sententiâ alicujus Patris Ecclesiaz defendi possit. 4. Absque lassione pudoris contradicimus Patribus istis antiquis, qui hereticos judicabant illos, qui antipotes statuebant. Cur non & hic similiter? 5. Quenam sit ratio, cur Patres Ecclesiaz haberent foedera Diaboli cum hominibus pro veris, infra ostendetur.

§. XXIX. Pergit Spizelius; Fore summam & extremam,

temeritatem, si quis vellet contradicere tot & tam innumeris, approbatis, & fide dignis scriptoribus, imò comuni Experi-  
entia. Respondeo, magor temeritas est, pro experientia &, pro Scriptoribus fide dignis jactare fubulas, quibus creduli se  
a malitiosis hominibus decipi patiuntur, & Scriptores supersti-  
tiosos. Reliqua non merentur, ut apponantur, qua Spizelius  
*dicit. cap. 2. & 3.* pro probanda existentia fœderis Diabolici adduc-  
cit. Si quis tamen putet inesse aliquid, quod responsionem me-  
reatur, reservabimus id confictui.

§. XXX. Atque hæc sunt ista fundamenta, quibus credi-  
tum fuit magos fœdus inire cum Diabolo, & reliqua, quæ suprà  
§. 12. recensuimus. Et ob has rationes nullius planè momenti  
tot millia hominum vel innocentium, vel certè hoc crimine non  
pollutorum sub specie pietatis, justitiæ ac Zeli divini crudelissi-  
mè interemta sunt. Jam ex abundantia addamus ratio-  
nes pro negativa. Sed ante omnia hic notemus, non esse à no-  
bis postulandas demonstrationes Mathematicas. Etsi enim  
Magi, Malefici, & Mathematici sèpè apud JCTos synonymouscè  
usurpentur, apud Philosophos tamen Diabolus ejusque poten-  
tia nec est subiectum Matheſeos, nec demonstrationis. In-  
terim studebimus proferre rationes, quarum verisimilitudo  
æquipolleat demonstrationi.

§. XXX. I. Diabolus nunquam assumſit, nec potest assu-  
mere corpus, ergo non potest fœdera corporaliter inire, nec un-  
quam corporaliter iniit, multo minus incubuit aut succubuit  
Magis & Sagis, aut eos sub specie hircina in montem Bructero-  
rum duxit &c. Non obstat exemplum Satanæ tentantis Chri-  
ſtum. Resp. I. Convenire primitus debent interpretes de intelle-  
ctu illius historiæ, utrum per imaginationem Christi vigilantis,  
utrum per somnum dormientis tentatio illa facta fuerit, utrum,  
quod nobis videtur vero similius par satanam ibi intelligatur,  
uti & alibi in Scripturis fit, homo, quorum ultimum no-  
bis videtur verosimilius. At nulla ex his interpretationibus ob-  
stat assertioni nostræ. 2. Debemus in interpretatione hujus hi-  
storiarum leponere præjudicia puerilia, quamvis haec tenus à pluri-  
mis,

mis, qui debebant desississe esse pueri, defensa. Quale est illud, dum creditum fuit ex ignorantia antiquitatum Judaicarum, Christum per aerem esse ductum in pinnaculum templi oben auff die Spize. Tale igitur etiam est illud, quo imaginamur nobis, Diabolum apparuisse Christo sub specie corporea. Nam posito, quod ipse Diabolus tentaverit Christum, tamen falsum est, aut certe nullâ ratione verosimili probatum, id factum fuisse sub specie corporea hominis vel monstri.) 3. Prajudicium sententiae contrariaz oritur ex imagunculis Evangelicis, secundum quas Pontificii sibi tentatorem nescio sub cuius monstri specie, nos Lutherani sub specie monachi cum cucullo imaginamur. Et mereretur peculiarem dissertationem superstitionis Papalis in Ecclesiis Lutheranis per imagunculus illas Catecheticas & Evangelicas infantibus instillata, firmiter herens per totum vitæ spacium. e. g. imaguncula, quæ apponitur præcepto tertio, petitroni sextæ, doctrinæ de Statu oeconomico & de conjugio, Evangelio in Domintca Oculi &c.

§. XXXII. II. Si Diabolus posset assumere corpus, falsa esset assertio Christi, quod Spiritus non habeat carnem & ossa, & in emptum foret argumentum, quo Christus voluit uti ad convincendos Discipulos. At utrumque horum cogitare blasphemum est.

§. XXXIII. III. Non potest Diabolus turbare potentiam & ordinem naturæ invisibilis, ergo non potest corpus assumere, tempestates excitare, hominem per aerem transferre &c.

§. XXX. IV. Non coharent, quæ boni homines modo de tanta potentia Diaboli in naturam invissibilem garriunt cum aliis fabellis suprà memoratis, quod possit crepitum ventris expelli, aut quod non possit aliquid auferre ex Bibliis &c. Nec est, quod ad finem hominis hic recursas. Si enim fide ejicitur, quid opus fuisset crepitum, nisi forte & stultâ distinctione inter crepitum rem absurdum absurdius dicam, an blasphemius velis palliate.

§. XXXV. V. Nullus effectus est, ac nullus usus fœderis Diabolici, neque ex parte hominis, neque ex parte Diaboli. Non illius. Dicunt enim, magos pacta inire voluptatum, pecuniaz & hono.

honorum consequendorum causa. Sed simul dicunt, plerosque magos decipi. Sed demus, etiam non decipi. Annon absque ope diaboli levi industria & astutia, imò annon modis honestis hzc omnia acquiri possunt. Quid opus igitur fœdere cum Diabolo.

§. XXXVI. At concedamus, cum nullum sit stultius animal homine, homines esse revera ita stultos, ut novimus multos tales esse, ut fœdera cum Diabolo querant, an putas, Diabolum æquè stultum esse, ut absque ullo fructu pœnum cum homine ineat. Est jam mancipium Diaboli, qui voluptatis, avaritiae & ambitionis mancipium est. Cui usui igitur fœdus ex parte diaboli? Ut hominibus dama det per Magos? At quibus? Non certe fidelibus. Infidelibus & iis, qui jam sunt similiter ejus mancipia, aut Diabolus damnum dare potest, aut non potest. Si prius, quid opus est magis, si posterius, nec per magos. An ut duplex vinculum fortius liget, quam simplex, & ut magus non tam facile possit evadere laqueos diaboli, quam si solum sit mancipium affectuum? Nec hoc cum natura humani generis, nec cum iis, quæ nostri de magis docent, convenient, Vide Part., III. Spizelii, quod non adeo difficulter magi possint chirographum suum recipere à Diabolo. Sed & vide naturam humani generis, quam difficillime homo, etiam Christianus, possit consequi dominium in affectus. Alias rationes reservamus curis secundis.

§. XXXVII. Videamus jam originem fabulæ. Multa hic suppeditabunt Beckerus lib. I. mundi fastinati & Dalius in tractatibus sapius allegatis, ita tamen, ut aliorum curæ multa supplenda, forte etiam emendanda reliquerint. Nobis paucis inquisitio hujus questionis eæ methodo videtur esse instituenda. Sunt populi, si secundum religionem eos dividere velis, vel Gentiles, vel Judæi, vel Christiani, vel Mahomedani. De Mahomedanis non opus est, ut inquiramus, partim quia eorum religio ex tribus prioribus est composita, partim quia ratione temporis quoad originem est ultima, adeoque inquisitio, quid ipsi de Magia statuant, nihil juvare poterit ad ostendendam originem er-

roris

roris Christianorum. At religio Gentilium & Judæorum est antiquior Christiana, & primi Christiani potissimum post mortem Christi partim Gentiles erant, partim Judæi. Ergo de istis duabus prius videndum. Si vera esset & reverâ existeret Magia, deberet doctrinia Judaica ex fontibus sacrarum literarum prius proponi. Nunc cum erroris fontes inquiramus, & fabulae Judaicæ ex libris Rabbinorum, qui diu post Auctorum Gentilium, quorum scripta habemus, ætatem vixerunt, inquirendæ sint, præstat de sententiâ Ethnicorum prius videre. Philosophia Gentilium est vel Barbarica vel Græca. Illa quidem est antiquior, sed quia paucissima & incertissima de eâ constant, contrâ Græcorum scripta in omnium manibus sunt, ac primi Christiani ex Græcis erant, & præterea in ipsis sacris literis Novi Fœderis Græci sèpè Gentiles quosvis denotant, ac Judæis opponuntur, de Græcis inchoandum erit.

§. XXXVIII. Missâ vero Philosophiâ Scepticâ, utpote quæ ad nostrum scopum nihil planè conferre potest, cum Sceptici etiam de rebus visibilibus dubitarent, & inter omnes sectas magis ad Atheismum, quam ad superstitionem inclinarent; dilatâ etiam ad secundas curas Philosophia Græcorum Fabulosâ seu Poeticâ, de dogmaticâ potissimum erit dispiciendum. Cum autem hujus sint sectæ ferè infinitæ, alio tempore ex Laertio & Plutarcho, quænam Thalethis, aliorumque Philosophorum sectæ Jonicæ, ut & ex Schefferi Philosophiâ Italica, quænam Pythagoriorum de dæmonibus & Magia fuerit sententia, meditationes nostras illustrabimus. Nunc de quatuor sectis potissimis saltem, quæ temporibus primis Christianismi sub Romano Imperio florebant, debemus esse solliciti. Puta de Epicureis, Stoicis, Platonicis, Aristotelicis. Ac Epicurei quidem, uti omnes, qui olim & hodiè philosophiam corpuscularem sequuntur, ansam superstitioni de Magis & Sagis haud dubiè non dederunt, cum eorum plerique omnes spiritus olim negaverint. hodierni vero, et si Diabolum credant, rectè tamen a superstitionibus magicis sunt alienissimi. Neque Philosopho-

phorum Epicuriorum quemquam credo transuisse ad religionem Christianam. Stoici & Platonicī primis Christianorum seculis maximè florebant & Patres priorum seculorum multi alterutri ex his duabus Sectis erant addicti , quamvis nec Aristotelici videntur esse planè excludendi. Quid singulis ex his tribus sectis seorsim sit tribuendum, etiam secundis curæ indicabunt. Communis Gentilismi superstitioni, potissimum vero Platonicorum & Stoicorum doctrina erat, esse Deos vel superos , vel in feros, vel medios , & inter divinam naturam ac humanam esse varias essentias intermedias , quas maximam partem dæmonia appellabant, & hæc in bona & mala distribuebant, illisque ad auctoritatem sibi apud populum comparandam & philosophi , & omnium maximè sacerdotes Gentilium divinationum & magiæ effectus attribuebant. Interim nullam species divinationum & magiæ tertia ac peculiaris ipsis erat, quam Dæmoniacam appellarent ; sed tam divinationem, quam magiam in naturalem & artificialem distribuebant, ac solum ad decipiendam plebem utrique varias admiscebant ceremonias superstitiones, ac in utrâque fingebant, sibi commercia esse cum diis aut essentiis intermediis seu dæmonibus. Atque dæmonibus etiam corpora tribuebant Stoici.

§. XXXIX. Porro inter sectas varias Judæorum , qui tempore Christi florebant, ( de quarum singulis in secundis curis distinctius dispiciendum, ) Pharisei , quorum maxima apud populum erat auctoritas , erant superstitionissimi, atque , uti ex Philonis & Rabbinorum scriptis patet, infinitis fabulis de dæmonibus malis seu diabolis & eorum effectibus, de Archidiabolo Sammæl & de matre ejus Lili , deque virtute & efficacia adversus diabulos literarum , nominum ac numerarum , quam in Cabbalâ suâ seu doctrinâ arcanâ docebant, item de divinitate <sup>78</sup> Bath Kool & populum Judaicum decipiebant. Adscribabant iidem diabolis, quod & Gentilium multi faciebant, corpora aut virtutem corpora sibi formandi, ac corporaliter hominibus nocendi , cum hominibus concubandi , & conse-

quen-

quenter etiam pacta & societates cum hominibus in-  
eundi.

§. XL. Etsi igitur statim post Christi mortem ex novis Christianis Judæi & Græci ob varias causas & doctrinas sèpis-  
simè collidebantur, ex qua collisione omnes hæreses primum  
ortum ducunt, non respuebant tamen primi patres Ecclesiarum  
Græci, & postea Latini etiam, postquam Judæos seculo quarto  
supresserant, Judæorum doctrinas, quæ cum superstitione  
Philosophiarum Græcarum, maximè autem Platonicas & Stoicas conve-  
niebant. Plurimi enim Patrum Philosophiarum Platonicas & Stoicas  
addicti erant, & notum est vel ex Augustini libris de civitate  
Dei, in quâ veneratione tum fuerit Philosophia Platonica: I-  
gitur multi erant Patres & inter eos potissimum Laetantius lib.  
2. divin. Inßit. (de alis, Athenagorâ, Tertulliano, Hieronymo &c. vide Lipsii Physiol. Stoic. lib. 1.) qui, cum de diabolis, &  
eorum potestate, de iis non multum invenirent in sacris literis,  
multa tamen docere vellent, partim torquebant textus scripturarum  
sacræ ad diabolum, qui tamen de eo non loquebantur, ut dum do-  
cebant, serpentem tentatorem fuisse diabolum, & prophetiam  
Esaie de lapsu Regis Babyloniarum loquentis & eum sub nomine  
Luciferi indigitantis, de diabolo ejusque lapsu explicabant;  
partim supplebant silentium sacrarum literarum ex fabulis Ju-  
daicis & Platonicis aut Stoicis. Hinc communis illis tempori-  
bus expositio eorum, quæ Moses de nuptiis filiorum Dei cum  
filiabus hominum tradit, quasi per filios Dei interelligantur An-  
geli, & ex talibus concubitis etiam angelorum cum feminis  
nonnulli originem aut multiplicationem certè diabolorum de-  
duxerunt. Hodiè verò postquam apud Protestantes plerique  
cordationum scripture interpretum illam erroneam interpre-  
tationem doctrinæ Mosaicæ de conjugiis angelorum cum femi-  
nis rejecerunt, debebant etiam simul rejecisse erroneous con-  
clusiones, quæ successu temporis errori illi capitali accesserunt.  
Aut enim insigniter fallimur, aut huic errore doctrine de  
nuptiis angelorum & hominum, pleraque, si non omnia, quæ de

de magiâ hodie homines sibi erroneè persuadent, de fœderibus ac societatibus diabolorum cum hominibus, de incubis & succubis &c. originem debent. Ut taceam, illas mutiplices fabulas de diaboli in specie corporea apparitione, quæ extant in vita Pauli & Anthonii, quasq; uti multi etiam nostratum habent pro verâ historiâ, ita jam Erasmus notavit, totum eum libelum esse figmentum in cerebro Hieronymi natum.

§. XLI. Post secula barbara cum scholæ iterum & Academix instituerentur, apud Protestantes in confessio est, regnasse summam superstitionem in Papismo. Etsi igitur Doctores Scholastici Aristotelem sequerentur, eumque explicarent, hic vero tot & tam absurdas fabulas, ut Platonici & Stoici faciebant de Dæmonibus eorumque efficaciâ corporeâ non tradidissent, ex variis tamen rationibus factum est, ut Scholastici & potissimum Scotistaræ ineptias omnes de Diabolorum pactis cum Magis arriperent. Ut enim doctrinam suam catholicam esse jaçtare possent, eruendus erat confensus Patrum Ecclasiæ priorum Seculorum. Cum vero hi magnam partem Platonici & Stoici essent, tentanda erat ( quamvis id non posset nisi ineptissime fieri,) conciliatio Philosophiaræ Platonicaræ & Stoicæ cum Aristotelica. Opus etiam erat multis Pseudomiraculis ad idolatriam Papisticam persuadendam. At hæc autem maximè aptæ erant etiam fabulæ antiquæ de fœderibus Diaboli cum Magis, cum hoc pacto Clerus Pontificius in rebus inanibus, inanibus etiam remediis, quæ partim in convertendis fictis Magis, partim in curandis fictis morbis consistebant, quos ex Magia ortum duxisse populum persuadebant, hunc facile in sui admiratione poterant perducere. Erat & alia utilitas fabulæ de pacto cum Diabolo. Si quidam vir pius & probus esset, Clero Pontificio ob infinitas causas ( quis enim eas ob quas quis Clero displicere poterat, omnes enumeraverit?) invisus, & hic ita prudenter actiones suas instueret, ut sub prætextu heterodoxiaræ aut hæreseos ipsi nocere non posset, nullum aptius remedium erat, eum ad ignem damnandi, quæ si de Magia criminе eum suspectū redderent, & diris tormentis

tis eō adigerent, ut infinitas rugas à Clero Pontificio excogitatas de commercio Diaboli cum Magis confessione suā confirmaret.

§. XLII. Erat Italia istis superstitionibus infecta, cum studium Juris Civilis Justinianei in Academiis Italicis florere inciperet. Inveniuntur ibi potissimum in Codicis titulo *de Malef. & Mathem.* leges de poenis veneficorum, & astrologorum &c. Cui astrologia tam invisa esset, potissima causa erat, quod multi homines superstitionis Astrologos de morte Cæsarum consulerent, quam & potissimam causam fuisse, cur jam ab Augusti temporibus Philosophi imprimis Platonici ac Mathematici ex toto Imperio Romano fuerint ejectedi, & ob quam ipse Constantinus Magnus, utpote qui antea ipse eos contulerat, illos timebat, & legibus peculiaribus in eos animadvertebat, alii jam annotarunt. At quod ad reliquam Magiam superstitionem attinet, punire jubet Constantinus *int. 4. Cod. d. sit.* saltem Magos, quatentis damnum dant, aut ad libidinem excitant, superstitionem vero, quæ ad curandos morbos & similia adhibetur, puniri non vult. Ob quam legem, ut istud obiter notem, et si communiter male audiat Constantinus, & nos nec superstitionem ipsam, nec rationem legis approbemus, putamus tamen non injunctè fecisse Constantinum, quod eam, quæ damnum non dat pœnis civilibus coercere noluerit, cum talia vitia magis pertineant ad emendationem doctrinalem, quam ad civilem. Interim exinde videmus, quod tum temporis nondum persuaserint sibi Episcopi Christiani, ac si Magi haberent pactum cum Diabolo, alias Constantino, qui fere nihil citrā consensum Cleri faciebat, non permisissent, in dicta lege eam distinctionem Magiæ adhibere.

§. XLIII. Quia tamen Glossatores juris Civilis à tenera juventute doctrinis Clericalibus erant infecti, inter quas & illa de fœdere Diaboli cum sagis non erat ultima, ac Canonistæ potissimum eam doctrinam etiam urgebant, inde & hi, et si alias in aliis doctrinis sèpè à Canonistis dissentiant, facile errorem communem contortis expositionibus juris civilis propagabant. Inde doctrinæ communes de crimine Magiæ, non ex Jure Justinianeo

neo derivatae, sed à Glossatoribus ex præjudicio illo communi propagatae, quod Magia sit species criminis læsa Majestatis divinæ, quod sit crimen extraordinarium, atrox & occultum, in quo sufficient leviora indicia ad torquendum, e. g. nominatio facta à reo ejusdem criminis: Item, quod in hoc crimine & similibus graviora tormenta adhiberi possint: quod reus convictus etiam post mortem damnari possit: quod ex causa hujus criminis confiscationi locus sit, non obstante novissimâ constitutione Justiniani. *Conf. Anton. Matth. de crimin. lib. 48. tit. 2. c. 1. n. 2. & tit. 5. c. 7. n. 13.*

§. XLIV. Venio ad Germanos, de quibus alio tempore inquirendum, quid hi jam à Taciti temporibus de crimine Magia senserint. Jam sufficiat, ex hodiernâ crassissimâ superstitione apud multos populos Germanicæ, penes quos solum exercitium religionis Pontificiæ obtinet, imò ex superstitione apud ipsos Protestantes adhuc hodiè durante facile presumi posse, quam firmiter ante reformationem Clerus Pontificius toto populo fabulas suas de crimine Magiæ persuaserit. Unde nullum est dubium, quin apud Germanos etiam ante introductus Academias creditum fuerit, Magos habere pactum cum Diabolo, ita ut post institutionem Academiarum Glossatorum sententia illæ facile approbationem invenerint. Plura suppeditabit Malleus Maleficarum, cuius Part. I. premissa est Bulla Pontificia de Magis ab Inquisitoribus hereticæ pravitatis in Germania puniendis. Non tamen ista sententia apertè in legibus invenitur, sed magis ad opiniones cumunes & jus non scriptum videtur esse referenda. Ita enim legitur lib. 2. art. 13. Land-Recht: Welcher Christen-Mann oder Weib unglaublicig ist / oder mit Sauberey umgehet / oder mit Vergiftung/ und der überwunden wird/ die soll man auf einer Horden brennen. Hunc enim textum, et si commodè possit explicari, quod loquatur saltē de Magis nocentib⁹, tamen jam olim à Scabinis Lipsiensibus generaliter fuisse expositum, sive nocitum sit, sive minus, docet Carpzovius qu. crim. 49. n. 8. Imò ipse auctor Constitutionis Criminalis Carolinæ, qui verosimiliter fuit JCus

vel

vel Italus, vel Germanus, tantum abest, ut disertè quid de Magiâ, quaꝝ paëtum cum diabolo habeat, in Constitutione ista disposuerit, ut potius apertè sententiam Juris Justinianeî modo memoratam cum distinctione inter Magiam nocentem & non nocentem repetierit, nisi quod huic ultimâ poenam arbitriariam dicaverit. So jemand denen Leuten / inquit art. 109. durch Zauberer oder Nachtheit zugefügêt soll man ihn straffen vom Leben zum Tode und man soll solche Straffe mit dem Feuer thun. Wo aber jemand Zauberer gebraucht/ und damit niemand Schaden gethan/ soll sonst gestraft werden nach Gelegenheit der Sache / derinnew die Urtheiler Rahts gebrauchen sollen/ wie von Rahtsuehen hernach geschrieben stehet. Etsi vero auctor hujus articuli secundum regulas bona interpretationis velit, Magum non nocentem aliis, debere mitius igne aut capitali poenâ puniri, & plane nihil de fœdere Diaboli memoret, & verosimiliter etiam hoc feedus non crediderit, tamen interpretes uti adsueti sunt quidlibet ex quo libet interpretari, etiam alterum casum constitutionis criminalis de Magia non nocente exposuerunt, quod ibi solum debeat respici ad eam circumstantiam, quod nullum damnum datum sit, sed & ad alias, an nimurum pactum cum Diabolo inierint Sagæ, & an simul Venere nefandâ cum Dæmone usfuerint, atque his casibus etiam ignis supplicium esse dictandum, Carpz.d.l.n.7.

§. XLV. Debet tamen quis putare, quod reformatio Lutheri, uti homines ab aliis præjudiciis Papismi liberavit, ita & ab istis fabulis Clericalibus de pacto Diaboli cum Magis liberare debuisset. Sed nihil minus. Quin potius sub Augusto Electore ista sententia, qua haec tenus ut jus non scriptum obtinuerat, diserte Constitutionibus Electoralibus P. 4. conf. 2. fuit inserta, verb. So jemand in Begeßung seines Chrisslichen Glaubens mit dem Teuffel Verbündnisse auffrichtet/ umgehet/ oder zu schaffen hat/ daß dieselbige Person/ ob sie gleich mit Zauberer niemands Schaden zugefügêt/ mit dem Feuer vom Leben zum Tode gerichtet und gestraft werden soll. Cum autem Elector Saxonia esset primarius Princeps religionis Lutheranæ, non mirum, si postea & in alias ditiones Lutheranorum imo & Resiformatorum Principum ista

ista communis persuasio propagata fuerit, vel, quod Lutherus ipse adhuc multa præjudicia de Diaboli potestate & viribus adhuc habuerit, uti ex variis scriptis ejus, & ex colloquiis mensalibus subinde apparet, vel quod Philippus Melanchthon post mortem Lutheri Philosophiam & Theologiam Scholasticam in Academiis Protestantibus firmiter iterum stabiliverit, cum à Lutheranis quantum ad Philosophiam attinet, pro communi præceptore Germaniz fuerit habitus Reformati autem insuper ei favent, quod in controversiis illorum Theologicis cum Lutheranis valde ad eorum partes inclinaverit; vel quod nonnulli Theologi Evangelici gustaverint illas utilitates, ob quas suprà diximus errorem istum se valde insinuasse Theologis Pontificis, vel denique, quod Jcti Lutherani adsueti fuerint, exscribere suos tra-  
Etatus criminales absque judicio ex Doctoribus Pontificiis.

§. XLVI. Habes jam rationes, cur Processus contra Sagas etiam post tempora reformationis non solum apud Principes Pontificios adhuc sit frequentissimus, sed & apud Principes Protestantes Europæ, maximoperè autem apud Lutheranos sapissimè miras & miseras tragædias excitaverit, præsertim cum illi, qui conscientiam Judicium eâ in re melius informare debuissent, partim ex ratione status, partim ex bona intentione & piâ simplicitate magistratus & Judices potius hic soliti fuerint instigare. Ipse Spizelius in *prefatione ad sepius citatum tractatum laudat*, & commendat judices Processum contra Sagas diligenter formantes de se ipso prædicans: daß solches heilsame Werk nach äußersten Vermögen zu befördern er seines allerwenigsten Orts von vielen Jahren her sich hoch verpflichtet geachtet. Loquatur eâ de re Saxonie inferior, loquatur Svecia, quas turbas ibi dederit processus contra Sagas & in tempestivis Zelus DEI honorem prætexens. Nobis ipsis narratum fuit illo tempore à Viro fide digno per Germaniam peregrinante, qui & ipse Assessor fuerat Judicij à Rege Sveciæ contra Sagas constituti, quod ipse & alii assellores ab initio facile subodorati ferint, nullum fundamentum adfuisse ad inquirendum contra personas denunciatas, cum nullum indicium adefset, quam depositio phantastica pterorum quorundam minoren-

nium & impuberum ; sed viciſſe tamen Theologos asſeffores prætexendo , Spiritum Sanctum honorem DEI contra regnum Diaboli vindicantem , non permitturum eſſe , ut pueri mentiantur , & ſepiuſ inculcando dictum Psalmi : Alius dem Munduſ der iungen Kinder und Säuglinge haſt du dir eine Macht zugerichet / daß du vertilgest den Feind und den Nachgierigen. Tandem , poſtquam jam multæ perſonæ innocentæ crematæ eſſent , & aliquis ex pueris virum honestum denunciasſet , quod in convivio Satanicō ſimul adſuiſſet , aliquis ex asſefforibus Laicis , cum præſcrituſ tamen reliquorum , puerum denunciantem tentari curavit , promittendo dimidium thaleri , fiſe erraffe conſifteretur & alium loco denunciati denuntiaret , quo facile impetrato , & Theologis asſefforibus jam palpantibus , quod Spiritus Sanctus non loqueretur per pueros , caſtigati quidem virgas à ministro judicii fuere denuncianteſ pueri , & processus ſublatus , ſed nimis tarde , cum jam multi innocentæ eſſent cremati. Et omnino plāne pudendas fuifile fabulas , in quibus fundata fuit inquisitio Sveciça , veſe ex eo appetet , ſi quis abſque præjudicio legat narrationem hujus inquisitionis , quam tractatui ſuo inſeruit Spizelius Part. I. cap. 17. p. 172. seq. etiſ & auctoř relationis eam ſcripſit ad perſuadendam ſententiam communem , & Spizelius eum in finem eandem tractatui ſuo inſeruerit. Præprimis autem attentioň merentur ea , quaž Spizelius ex dicto auctoře p. 187. seq. refert , ex quibus diſertè appetet , innocentissimas perſonas à pueris iſtis fuifile denunciataſ.

§. XLVII. In hoc Statu adhuc in Germania hodienum eſt processus contra ſagas , niſi quod poſtquam Philosophia Carteſiana , utpote quaž in doctrina de Spiritibus Platonicis & Scholasticis tota oppoſita eſt , in Belgio radices egit , & etiam Theologos reformatos quodam in ſuas partes traxit , apud reformatos , præcipē non Voetianos in Belgio , & ex horum commercio cum Germanis etiam in Germania mitior & rationi magis conformis ſententia obtinere , & inquisitionum magicarum exempla etiam in Germania cœperunt fieri rariora , ac ſperandum erit , cum reliquis præjudiciis , quorum jam plurima Germani & Theologi & Jcti rejeceſſerunt , & hoc mox rejectum iri. Etiſ enim nequaquam

adhæreamus Philosophiæ Cartesianaæ nimis in doctrina de spiritibus in alterum extremum inclinanti, atque hæc inconvenientia pluribus jam appareat, sufficit tamen, quod ope Philosophiæ Cartesianaæ grilli isti Scholastici, ad quos etiam vani conceptus de crimine Magiæ sunt referendi, ex multis Academiis sint extirpati, nec timendum sit, ut in terris Principum Protestantium rursum sint in solium evehendi.

§. XLVIII. Cum enim in hoc criminis nunquam ullum verum corpus delicti affuerit, quilibet videt, quod nec unquam illum verosimile indicium adesse potuerit, quia non entis nulla sunt indicia. Fac vel mille Sagas illa omnia fuisse confessas, quæ apud Carpzovium in sententiis questioni 50. criminali recensentur, quilibet tamen facile palpatur, quod omnia illa sint suppeditata à judicibus & crudelissimis tormentis extorta. Imo demus etiam mille Sagas sponte de se talia fuisse confessas, quamvis vererar, an ex tot myriadibus igne combustis, decem allegari possint, quæ id fecerint, quis judex tam absurdus esset, ut crederet mille foemini unanimiter deponetibus, v.g. se in cœlo fuisse, & cum S. Petro saltasse, aut cum ejus cane venatorio concubuisse. Nam magis (non dicam ridicula, quia crudelitas processus contra Sagas quid tristius postulat,) stulta sunt ea, quæ leguntur in depositionibus Sagarum. Hinc facile responderi poterit communi effugio JCtorum nostrorum, in criminibus occultis & facti transeuntis, ut Adulterio, Stupro, Sodomia, Hæresi, Beneficio, Sortilegio &c. de corpore delicti aliter constare non posse, quam per conjecturas & indicia adeoq; in his præsumptionem & congetturatam probationem heberi pro plena. *Vid. Carpz. qv. 119. n. 6r.* Nem in reliquis delictis omnibus faltem de aliquo corpore delicti aliquando constituit, de eorumq; existentia nulli homini sanæ mentis restare potest dubium. At cum numquam extiterit corpus delicti in ullo casu Magiæ, parum apta est criminis hujus cum reliquis reconsitis comparatio.

§. XLIX. Unde jam suâ sponte ruunt, quæ Doctores de indiciis Magiæ tradere solent. Sunt vero illa duplicitis generis. Alia enim vel in lege publicâ Imperii & scilicet in Constitutione Carolinâ sunt fundata, alia iis à Doctoribus superaddita. Posteriora quod attinet, pudet ea referre, cum ea non aliis rationibus, quam aucto-

spiritu  
nientia  
sophia  
ceptus  
t extir-  
m rur-  
am ve-  
nquam  
s nulla  
, quæ  
ensen-  
ppedi-  
demus  
vis ve-  
ri pos-  
crede-  
fuisse  
buisse  
s con-  
legun-  
poterit  
altis &  
eficio,  
quam  
conje-  
. Nem  
Et ali-  
mentis  
delicii  
eliquis  
de in-  
Alia  
Caro-  
teriora  
quam  
aucto-

auctoritatibus Inquisitorum Pontificiorum nitantur , ac propter superius dicta, nullam mereantur fidem. Solent tamen JCTi Pro- testantes ea absque judicio commentariis suis cum approbatione inserere. Unus instar omnium sit Christophorus Crusius , qui in *Tractatu de indicis delictorum specialibus cap. 32.* tales nugas magno cumulo adscripsit , & defendere intendit . Neque è re erit , in his latius refutandis actum agere , cum nuperimè in hac ipsa Academia fallacia ista Magia indicia peculiari dissertatione in- augurali fusi s jam sint reiecta , & Auctor cautionis criminalis ista etiam solidissimè impugnaverit.

§. L. Illud tamen omittere nequeo , quod etiam pro pecu- liari indicio Magia venditetur , si reus nel rea signis eminentibus externæ pietatis sint conspicui . *Vid. Crusius d. l. n. 102. seq.* Dixit Apostolus , Pietatem ad omnia esse utilem . Nostri vero indi- cium gravissimi & horrendi delicti eam esse volunt . Quis homo sanæ mentis vel in profundissimo somno tale argumentum sibi imaginari posset ? An , inquiunt , fucata est illa pietas non vera . Demus initio , id verum esse . Non tamen propterea erit indi- cium Magia . Est hypocrisis vitium , quo omnes homines , ma- xime autem , qui honestiori vita genere , vel a natura , vel affe- ctione dediti sunt , tentantur . Ergone homines turpissimè vi- ventes damnabunt homines honestati dantes operam , ut Ma- gos , ob suspicionem fucatae pietatis sive levem , sive etiam gra- vem ? Quis hæc concoqueret absque indignatione ? Sed nec ve- rum est , insignem professionem pietatis externæ esse indicium hypocriseos . Ergo nec talis professio potest justum indicium Ma- gie esse , sed alio indicio opus esset adfirmandum prius hoc pseu- do indicium , & nullâ aliâ re suspecti be Magia tunc opus habe- rent pro sua defensione , quam ut afferrent vulgatum versiculum :

*Omnis cum liceat, non licet esse pium.*

Quin potius absurdissimum hoc indicium corroborat ea , quæ su- prā §. 41. observavimus , nempe Clerum Pontificium crimen Ma- gie invenisse , ut sub hoc prætextu viros pios sibi invisos possint sub specie justitiae & Zeli divini interimere . Legant omnes , qui specimen illustre malitiæ Clericalis in hoc genere cognoscere de- siderant integrum tractum Gallicum , cui titulus : *Historie des Diables de Londres* , & conferant Beckeri mundum fascinatum lib. IV. .



c. II. ac stupescunt. Hoc factò legant etiam attentè fabulam de horrenda Magiâ Ludovici Godofredi, quam Franciscus Rossetus inseruit *Historicis tragicis sui temporis*, & inde ex Gallico in Germanicam idioma transtulit Martinus Zeilerus in traurigen *Mordgeschichten*/ & deprehendent, Spizelium sine ratione in sèpè allegato tractatu sèpius hoc exemplum adduxisse, sed potius vel ex ipsa descriptione Rosseti multas circumstantias transparere indicantes, Ludovicum Godofredum fuisse virum optimum & valde pium, ac ex sola invidia à Clero per calumniam ac subornationem false accusatricis fuisse, ut magum condemnatum. Ulteriore demonstrationem reservamus curis secundis.

§. LI. Sed videamus jam indicia, quæ lege Carolinâ continentur. Ita vero *Articulus 44. Constit. Criminalis.* Wenn jemand sich erhebet/ andern Menschen Zauberey zu lernen/ oder jemand zu bezaubern bedrohet/ und dem bedrauten dergleichen geschicht/ auch sonderliche Gemeinschafft mit Zauberern oder Zauberin hat/ oder mit solchen verdächtigen Dingen/ Gebärden,/ Werten und Wesen umbgehet/ die Zauberey auff sich fragen/ und dieselbige Person des selben auch berüchtiget/ das giebet eine redliche Anzeigung der Zauberey und gnugsame Ursache zu peinlicher Frage.

§. LII. Forent hac indicia nonnullius momenti, si probatum fuisse, existere crimen Magiæ. Hoc vero nondum monstrato & illa sunt inania, nec verosimilitudinem aliquam inferunt. Demus primò esse aliquem probè convictum, quod se obtulerit, quod aliis magiam, (adde etiam Diabolicam) docere voluerit. Nullum inde oritur indicium, quod ipse paëtum cum dæmone inierit. Diximus suprà, §. 36. multos homines tam stulos esse, ut fœdera cum diabolo querant, neque est dubium, multos homines tam profanos esse, ut talia desiderantibus illudant eosque pecuniâ emungant, offerendo se, quod illud paëtum tanquam mediatores promovere velint, & reverâ alios homines subornent, qui diaboli personam sustineant. Propterea tamen nec ipsi Magi sunt, nec Magiæ crimen existit. Non laudo eos, non excuso, non volo decipientes pariter ac deceptos à poena etiam graviore esse eximendos, sufficit, quod non puniendi sint ut magi, & quod hoc non sit genuinum magiæ indicium.

§. LIII.

§. LIII. *Secundum* vero indicium non intelligo. Nam initio nemo facile tam stultus erit, ut alteri minetur, daß er ihm wolle bezubern. Quod si minetur, quod velit damno afficere vel intuitu vitæ aut sanitatis, vel intuitu bonorum, minax hæc non inferunt damnum per magiam & fœdus cum diabolo. Sed fac etiam, aliquem expreßè minatum esse quod velit per magiam ipsi nocere, unde constabit de altero hujus indicii requisito, quod revera PER MAGIAM alteri nocitum sit, cum nulla detur Magia? Vel certum est & aperatum, quod is, qui ita minatus est, alteri per media evidenter naturalia aut moralia damnum dederit, tum non est Magus; vel suspicio saltem est, damnum subsecutum ab isto per media occulta esse perpetratum, tum non poterit pro mago haberi: partim, quia valde dubium est, an damnum subsecutum ab eo processerit, partim quia media occulta non statim sunt diabolica. Multa sunt in naturâ occulta per quæ alteri etiam damnum dari potest absque concursu diaboli propter magnetismum naturæ, cujus rationem dare possunt nec Aristotelici nec Cartesiani. Sed hoc est antiquum asylum ignorantiæ Academicæ: *Quicunque effectus non possunt demonstrari ex libellis Physicæ Academicæ, & tamen non commodè possunt Deo adscribi, abscribendi sunt Diabolo.*

§. LIV. *Tertium* indicium, conversatio cum magis & sagis petit id, quod in questione est. Cum enim non sint magi & sagæ, nulla etiam est cum eis conversatio. Deinde etiamsi demus, dari sagas, tamen conversatio cum iis esset indicium maximè fallax, cum multæ possit esse cause alia, v. g. cognatio, vicinitas, educatio, interesse pecuniarium, paritas status & infinitæ alia, cur aliquis cum mago ejusmodi conversatus fuerit. An putabimus eos esse adulteros, falsarios, helluones, qui cum ejusmodi hominibus etiam familiariter conversantur. Notus quidem est versiculus: *Noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se.* Sed notum etiam est, versiculos ejusmodi non esse sufficientes ad torturam; alias ex simili dictorio, quod solus cum solâ non præsumatur orare Pater noster, quilibet etiam torquendus esset, qui solus cum solâ deprehenderetur. *Oriuntur ejusmodi*

modi dieteria ex eo, quod saepius fieri solet, sed praesupponunt communiter multas circumstantias alias in ipsis dieteris non expressas. Fallit autem maximè istud axioma de socio, in delictis occultis. Quid enim, si nesciam cum reliquo populo, Titum esse de aliquo crimen suspectum, an conversatio cum Titio, cuius scelus postea detegitur, mihi fraudi foret? At Magia dicitur esse delictum occultum. Igitur si aliquis cum homine, postea magiae accusato & secundum processum consuetum convicto, conversatus est eo tempore, quo habebatur pro viro honesto, qualis absurditas esset, si conversatio haec alterum redderet suspectum. Nam articulus non potest loqui de eo, qui magiae est accusatus. Aut enim is condemnatus est, aut absoltus, & posterius vel ob monstratam innocentiam, vel ob purgata aut alias non sufficiencia indicia. Si condemnatus est, casus vix erit dabilis, ut alius cum tali conversari possit, cum nullum forte detur exemplum, quod magus condemnatus poenæ gratiam impetraverit. Si absoltus est, etiam si id propter insufficientia indicia factum est, quænam esset ratio hunc pro suspecto de magia haberi, qui conservatur cum eo, quem judex præmissâ causâ cognitione pro mago non habet? Aliæ infinita ut jam taceam.

§. L V. Nimis autem generale, confusum, & obscurum est indicium quartum: si quis utatur rebus, verbis, & gestibus, quæ suspecta sint de magia, ut revera pudere debuisset autorem *Constitutum*. *Criminalis*, quod in re tanti momenti tam vagum indicium posuerit, & ita inquisitoribus fenestratas aperuerit, quidlibet etiam si sit res absurdissima, sub hoc indicio comprehendendi. Neque enim alias qui de indiciis delictorum commentati sunt, solent in enarrandis indiciis delictorum quæ generalibus, quæ specialibus à præscriptione Constitutionis Criminalis latius abire, & indicia multiplicare. At cum in magia id facere communiter soleant, verosimile est, interpres ad eum errorem seductos esse, quod putaverit quilibet se indicis illis afferre casum, quartum hoc indicium declarantem, v. g. si quis deprehendat apud inquisitum ollam repletam bufonibus, membra humana, librum magiae, aut si proponatur effossum limen domus vel stabuli, inibique defossum quid deprehendatur, quod homines inficerentur

rentur &c. vid. Cruf. d. Cap. 32. n. 4. Ubi semper supponitur & magiam dari, & tales res probare aliquem esse magum, quorum utrumque tamen falsum est.

§. LVI. Quenam ergo cautiones Judici in processu contræ sagas adhibendæ sunt, ne innocentes puniantur? Plures e- quidem recenset Auctor Cautionis Criminalis dub. 16. & seq. quia præ se fert, ac si credat existentiam criminis magiæ sed quarum tam en singulæ infinitis ab usibus subacent, alibi examinandæ. Nobis unica cautio est, quia crimen magiæ pro fabuâ habemus, ut Princeps non permittat inquiri de crimen Magiæ, i. e. de fœdere hominum cum diabolo, (nam de damno hominibus per magiam occultam vel naturalem vel artificialel dato nobis sermo non est,) & ut Judge inferior nunquam inquirat. Et quamvis probè nobis constet, magistratus intermedios esse executores potestatis summæ in Republ. nec posse eos vel leges vel mores receptos corrigere, simul tamen certi sumus, nunquam adfutura esse indicia sufficientia ad inquisitionem, adeoque Judicem inferiorem etiam legibus ipsis, & quæ illæ de indiciis delictorum disponunt, si concedat denunciatis defensionem pro avertenda inquisitione, se ac suum procedendi modum defendere posse.

## P R A E S E S

*ad*

*R E P O N D E N T E M S U I M.*


**R**EDDO Tibi, Clarissime REICHI Dissertationem Tuam inauguralem de crimine Magiæ, quam meæ censuræ exhibuisti. Tractasti ibidem diversis quatuor capitibus 1. de existentia hujus criminis 2. daorigine erroris communis, 3. de indiciis Magiæ, 4. de cautelis circa processum sagarum. Legi & laudo diligentiam tuam, laudo, quod per tot devia unâ cum tot se duotoribus ambulans, tamen viam regiam veritatis inveneris, & cognoveris, crimen magiæ ad fabulas pertinere,

nere, quibus Clerus Pontificius decipere solet Laicos incautos. Neque miratus sum, quod in tantâ difficultate materiæ subinde in disputatione Tuâ remanserint dubia quædam, quæ ulteriorem disquisitionem videbantur postulare. Non mihi tamen fuit tempus, evolvendiauctores, quos passim pro corroborandâ sententiâ tuâ adduxisti & omnia cum curâ debita ineditandi. Igitur cum Tibi jam proposueris, in secundis curis discursum Tuum emendationem unâ cum speciminibus quorundam processuum contrâ sagas edere, in chartam conjectibrees has Theses, quæ in perfectione prolixoris dissertationis Tuæ in mentem venerunt, & ad quarum methodum vellem revisionem meditationum Tuarum in secundis curis institui. Abstinui datâ operâ à multis allegationibus, quia in cathedrâ non videndum est, quis dicat, sed quid dicatur, & quia defectus hic facile ex ipsis collectaneis Tuis suo tempore poterit suppleri.

Tu interim vale, ac res Tuas feliciter age,

Dabam d. 6. Novembr. 1701,

F I N I S.



DS A 2203

ULB Halle  
003 782 557

3



V 17 = 00

80.





**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



11,639  
31  
14

THESES IN AVGVRales,  
*de*  
**CRIMINE MAGIÆ,**  
quas  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
SCEPTRI BORVSSICI ET BRANDENBUR-  
GICI HEREDE &c. &c.  
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA,  
*Ex decreto Illustris Facultatis Iuridice*  
*PRAESIDE*  
**D. CHRISTIANO THOMASIO, I<sup>CTO</sup>,**  
REG. MAI. BORVSS. CONSIL. PROF. PVBL. & h.t. DECANO,  
**PRO LICENTIA**  
Summos in utroque iure honores & DOCTORALIA  
Priuilegia legitime consequendi,  
IN AVDITORIO MAIORI,  
*Horis Ante & Pomeridianis*  
*Solemniter Eruditorum disquisitioni submittit*  
**M. IOHANNES Reiche Ampliss. Ordinis**  
Philosophici Adiunctus  
*ad D. 12. Novembr. c13 oc cl.* 1701.  
HALAE MAGDEBURGICAE,  
litteris CHRISTOPH. Salfeldii, REGIMIN. REG. BORVSS. Typog.